

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 4: De aliis virtutibus Caput 3: De correctione Domini (5)

Gregorius:

In suis voluptatibus relaxatur iniustus,  
quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto eterna denegantur.

Negantur electis in hac vita bona terrena,  
quia et egris, quibus spes vivendi est,  
nequaquam a medicis cuncta que appetunt conceduntur.  
Dantur autem reprobis que in hac vita appetunt,  
quia et desperatis egris omne quod desiderant a medicis non negatur.  
Perpendant igitur iusti que sint mala, que iniquis permanent,  
et nequaquam felicitati eorum inuideant que percurrit.  
Quid est enim quod de eorum gaudiis admirentur,  
quando et ipsi per iter aspere ad salutis patriam,  
et illi quasi per amena prata ad foveam tendunt?

Floreant igitur iniqui, a flore eterne hereditatis alieni,  
iusti vero semetipsos solerter inspiciant,  
ut in cunctis actionibus suis a domino se videri pertimescant.

In suis autem uoluptatibus relaxatur iniustus,  
quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto aeterna denegantur.  
Iniustus ad debitam mortem currens, effrenatis uoluptatibus utitur,  
quia et uituli qui mactandi sunt in liberis pastibus relinquuntur.  
At contra iustus a delectationis transitoriae iucunditate restringitur,  
quia et nimirum uitulus ad laboris usum uitae deputatus sub iugo retinetur.  
Negantur electis in hac uita bona terrena,  
quia et aegris quibus spes uiuendi est  
nequaquam a medico cuncta quae appetunt conceduntur.  
Dantur autem reprobis bona quae in hac uita appetunt,  
quia et desperatis aegris omne quod desiderant non negatur.  
Perpendant igitur iusti quae sint mala, quae iniquos permanent,  
et nequaquam eorum felicitati inuideant quae percurrit.  
Quid est enim quod de eorum gaudiis admirentur,  
quando et ipsi per iter asperum ad salutis patriam,  
et illi quasi per amoena prata ad foueam tendunt?  
Dicat ergo uir iustus: *Numquid non perditio est iniquo et alienatio*  
*operantibus iniquitatem?* Quod uidelicet alienationis uerbum durius  
sonaret, si hoc interpretes in suae linguae uoce tenuisset. Quod enim apud  
nos alienatio, hoc apud Hebraeos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit  
reprobis, cum ab hereditate districti iudicis se anathema esse conspiciunt,  
quia hic eum peruersis moribus contempserunt.  
Floreant igitur iniqui, a flore aeternae hereditatis alieni;  
iusti uero semetipsos sollerter inspiciant,  
et in cunctis actionibus suis a Domino se uideri pertimescant.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 21.4 (CCSL 143A, M. Adriaen ed.,  
p.1070, ll.12-36).